

non esse, quām esse: licet habuerit semper esse: imò verò esse, & non esse videntur esse simul: in instanti enim, quo res creatur, suum non esse stat cum suo esse, quia illud non esse est terminus à quo creationis: at in mutationibus instantaneis (qualis est productio mundi) simul duratione est terminus à quo, & terminus ad quem; alioquin non esset mutatio instantanea; ergo similiter res producta ab æterno habuisset suum non esse, & suum esse in eadem duratione.

Quint.

**Quint.** Ideo plures possibilitatem æternitatis mundi nolunt admittere, quia hoc non possunt mente capere, quomodo scilicet mundus posset stare ab æterno; sed hæc incapacitas concipiendi non impedit dictam possibilitatem, nam nunquid æquæ bene possim intelligere mundum ab æterno, ac Deum ab æterno? sed concipimus Deum ab æterno, ergo & id possemus facere de mundo: imò multò facilius, quia mundus est quid corporeum; Deus verò quid mēre spirale; at melius percipimus corporalia, quam spiritualia.

Confirmature ex illo S. August. 10. de ciuit. Dei dicentes, quod si pesset ex æternitate in puluere, vestigium foret abæterno. Nec valet responsio Toleti dicentis, vestigium non esse à pede, hoc enim falsum est; nam licet sit a figura pedem, tanquam à causa efficiente remota, est tamen ab ipso pede, tanquam à causa proxima determinante, ac formante ipsum vestigium.

Sext.

**Sexto.** Non minus est potens diuina essentia, ac persona diuina; at persona diuina ab æterno producit aliam realiter distinctam, ergo essentia diuina poterit ab æterno producere essentiam aliam realiter distinctam.

Septim.

**Septimo.** Ratio illa secundo Clypeo positæ est efficax, scilicet: potuit Deus velle mundum ab æterno, ergo potuit facere mundum ab æterno: nam illa responsio, scilicet: est repugnantia ex parte mundi, non valet; quia non est maior repugnantia passiva ex parte mundi, qui produceretur in æternitate, quām quod productus sit in tempore; sed nullum habuit repugnantiam passuam ad produci in tempore, ergo nec in æternitate: nam talis, vel talis duratio nullam ponit in re durance repugnantiam, aut non repugnantiam; quia duratio non est essentia rei: quare quod non habet repugnantiam ad produci in tempore, nec habebit repugnantiam ad produci in æternitate.

Octavo.

**Octavo.** Ponendo possibilitatem mundi ab æterno, hoc nobis melius manifestat, quomodo Filius, & Spiritus Sanctus in Diuinis sint producti ab æterno, multòque evidenter argumenta Arius diluuntur; nam eo tendebat Arius, ut ostenderet impossibile esse, ut aliquid produceretur ab æterno, & per consequens inferebat Filium Dei non esse ab æterno, sed esse creaturem. Deinde ponendo possibilitatem mundi ab æterno, magis extollitur omnipotentia Dei.

Quoad res verò successivas, in particulari, probari potest resolutio: non repugnat res successivas esse æternas à parte post; imò de facto cogitationes Beatorum, que sunt futurae à parte post, sunt æternæ; quia per omnem æternitatem eliciunt cogitationes, & tamen de se sunt successivas, ergo non repugnat eas posse esse æter-

nas à parte ante. Solùm potest dici quod daretur primum in æternitate, & secundum. Sed respondeo hoc non esse inconveniens, loquendo, non quidem de prioritate temporis, aut durationis, sed saltem de prioritate ordinis. Imò Pater in Diuinis dicitur prima persona, & prior origine Filio, & Filius secunda persona, & prior origine Spiritu Sancto.

Ex istimo tamen, quod si mundus foret ab æterno, alio modo se res haberent, ac nunc se habent; nam esset alius numerandi modus, præfertim secundum durationem: Vnde in illo statu dicarem, quod esset primus homo, non secundum durationem, sed secundum productionem: sicut si Deus nunc producat Angelum, nullo habito respectu ad tempus nostrum, & supponamus alios Angelos fuisse productos ante tempus nostrum: neque hic Angelus, neque alii Angeli dicentur priores, aut posteriores tempore secundum se, sed tantum secundum nos, id est secundum nostram considerationem, qua duratione rerum secundum nostrum tempus numeramus, & consideramus.

Deniq; probatur resolutio, præfertim generationes potuisse fieri ab æterno, hoc argumento de Bassolis: sicut non repugnat isti homini esse genitum, & habere patrem; ita nec repugnat patri suo esse genitum, & habere patrem, & sic in infinitum; quia omnes sunt eiusdem rationis: hoc autem admisso, generatio hominum potuit esse ab æterno. Item sicut isti homini absolute non repugnat generare & habere Filium, seu hominem genitum post se; & similiter illi genito non repugnat generare, & sic in infinitum à parte post; potest perpetuari generatio: ita nulli homini repugnat generari, & habere patrem à parte ante: quo posito generatio potuit esse æterna: ex quo manifestum est: mundum potuisse produci ab æterno, non modò quoad partes suas permanentes, sed etiam quoad successivas.

Tandem Confirmatur: quia Deus producendo cœlum ab æterno, illud potuit moueri ab æterno, cùm cœlum habeat potentiam ad motum. Item sicut aliqui parti temporis non repugnat habere partem temporis, quia tempus est diuisibile in infinitū; ita nulli parti temporis hoc repugnat; Sunt enim eiusdem rationis omnes partes temporis, ideoq; ante quamlibet partem, potest esse alia & alia in infinitum: sicut à parte post, potest esse alia & alia in infinitum, sicut perperiur à parte ante, & à parte post: quia post, quamlibet partem temporis, potest succedere alia: sicut enim post partem B potest succedere alia pars C & ita post partem C potest succedere pars D. & sic per omnem æternitatem à parte post: ergo similiter per æternitatem à parte ante; sicut enim se habet tempus in accipiendo quoad futurum: ita se habet in accepto quoad præteritum; ergo sicut potest perpetuari in accipiendo quoad futurum, ita potest perpetuari in accepto, seu trans-

acto quoad præteritum.

\* \*